



—*— Officia Sanctorum —*—
PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Festa mobilia.

DOMINICA TERTIA
POST EPIPHANIAM.
Sanctæ Familiæ
Jesu, Mariæ, Joseph.
Duplex majus.
IN I. VESPERIS.

Antiphonæ.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Psalmi ut in Festis B.M.V.
per Annum. [191]

2. Angelus Dómini apparuit in somnis Joseph, dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

3. Pastóres venerunt festinantes, et inveniérunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio.

4. Magi intrantes domum inveniérunt Puerum cum María matre ejus.

5. Erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Capítulum.

Luçæ ij.

Escéndit Jesus cum María et Joseph, et venit Náza-reth, et erat súbditus illis.

Hymnus.

O Lux beáta Cœlitum,
Et summa spes mortalium,

Jesu, o cui doméstica
Arrisit orto caritas.

María, dives grátia,
O sola quæ casto potes
Fovère Jesum pectore,
Cum lacte donans oscula.

Tuque ex vetústis pátri-
bus

Delécte custos Vírginis,
Dulci patris quem nómine
Divína proles invocat.

De stirpe Jesse nóbili
Nati in salutem géntium,
Audíte nos qui súpplices
Vestras ad aras sistimus.

Dum sol redux ad véspe-
rum

Rebus nitórem détrahit,
Nos hic manétes íntimo
Ex corde vota fúndimus.

Qua vestra sedes flóruit
Virtútis omnis grátia,
Hanc detur in domésticis
Reférre posse móribus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spi-
ritu,
In sempiterna sæcula.

Amen.

℣. Verbum caro factum
est, alleluia. ℞. Et habi-
tavit in nobis, alleluia.

Ad Magnif. Aña. Beati
qui habitant in domo tua.
Dómine: in sæcula sæcu-
lorum laudábunt te.

Oratio.

Domine Jesu. Christe,
qui Mariæ et Joseph
súbditus, domésticam vi-
tam ineffabilibus virtúti-
bus consecrásti: fac nos,
utriusque auxilió, familiæ
sanctæ tuæ exémpis ín-
strui; et consórtium cón-
sequi sempiternum. Qui
vivis.

Comm. Domin. occur.
**Ad Complet. et alias Ho-
ras concluduntur Hymni.**
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Dei
Fílium, Mariæ et Joseph
súbditum, * Veníte ad-
orémus. **Ps. Veníte. 2.**

Hymnus.

Sacra jam splendent
decoráta lychnis
Templa, jam sertis redi-
mítur ara,

Et pio fumant redolént-
que acérræ
Thuris honóre.

Num juvet summo Géniti
Parénte
Régios ortus celebráre
cantu?

Num domus David, déco-
ra et vetústæ
Nómína gentis?

Grátius nobis memoráre
parvum
Názaráe tectum, tenuém-
que cultum;
Grátius Jesu tácitam re-
fêrre
Cármine vitam.

Nili ab extrémis peregrí-
nus oris,
Angeli ductu, própere re-
mígrat
Multa perpéssus Puer, et
patérno
Límine sospes.

Arte qua Joseph húmili
excoléndus,
Abdito Jesus juvenéscit
ævo,
Seque fabrílis sócium la-
bóris
Adjicit ultro.

Irriget sudor mea mem-
bra, dixit,
Antequam sparso má-
deant cruóre:
Hæc quoque húmáno gé-
neri expiándo
Pœna luátur

Assidet Nato pia Mater
almo,
Assidet Sponso bona nu-
pta; felix
Si potest curas reveláre
fessis
Múnere amíco.

O, neque expertes óperæ
et labóris,
Nec mali ignári, míseros
juváte,
Quos reluctántes per acú-
ta rerum
Urget egéstas.

Démite his fastus, quibus
ampla splendet
Fáustitas, mentem date
rebus æquam:
Quotquot implórant cólu-
men, bénigno
Cérnite vultu.

Sit tibi, Jesu, decus atque
virtus,
Sancta qui vitæ docu-
ménta præbes,
Quique cum summo Ge-
nitóre et almo
Flámíne regnas.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Cum indúcerent
púerum Jesum paréntes
ejus: accépit eum Símeon
in ulnas suas, et benedíxit
Deum.

**Psalmi trium Nocturn. ut
in Festis B. M. V. [194]**

Aña. Ut perfecérunt óm-
nia secúndum legem Dó-

mini, revérsi sunt in Ga-
lilæam in civitátem suam
Názareth.

Aña. Puer autem crescé-
bat et confortabátur ple-
nus sapiéntia, et grátia
Dei erat in illo.

℣. Propter nos egénus
factus est, cum esset dives.
℞. Ut illius inópia nos dí-
vites essémus.

De Epístola beáti Pauli
Apóstoli ad Collossénses.

Lectio j. Cap. iij. b et iv.

Nduíte vos ergo
sicut elécti Dei,
sancti et dilécti,
víscera misericórdiæ, be-
nignitátem, humilitátem,
modéstiam, patiéntiam:
supportántes invicem, et
donántes vobismetípsis, si
quis advérsus áliquem ha-
bet querélam: sicut et Dó-
minus donávit vobis, ita
et vos. Super ómnia au-
tem hæc, caritátem ha-
béte, quod est vínculum
perfectiónis: et pax Chri-
sti exsúltet in córdibus
vestris, in qua et vocáti
estis in uno córpore: et
grati estóte. Verbum Chri-
sti hábitet in vobis abund-
ánter, in omni sapiéntia,
docéntes et commonén-
tes vosmetípsos psalmis,
hymnis, et cánticis spi-
rituálibus, in grátia can-

tántes in córdibus vestris Deo.

R. In terris visus est, * Et cum homínibus conversátus est. **V.** Hic adinvénit omnem viam disciplínæ, et trádidit illam Jacob púero suo. — Et cum.

Lectio ij.

OMne quodcúmque fáctis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias ágentes Deo et Patri per ipsum. Mulieres, súbditæ estóte viris, sicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras, et nolíte amári esse ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia : hoc enim plácutum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatió-nem provocáre fílios vestros, ut non pusillo ánimo fiant.

R. Beáti qui hábitant * In domo tua Dómine.

V. In sæcula sæculórum laudábunt te. — In domo.

Lectio iij.

Servi, obedíte per ómnia dómínis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed in simplicitate cordis, tímentes Deum. Quodcúmque fáctis, ex ánimo operámini,

sicut Dómino, et non homínibus : sciéntes quod a Dómino accipiétis retributió-nem hereditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recipiet id quod inique gessit : et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod justum est et æquum, servis præstáte : sciéntes quod et vos Dóminum habétis in cælo. Oratióni instáte, vigílantes in ea in gratiárum actiÓne.

R. Débuit per ómnia fratribus assimilári, * Ut misericors fieret. **V.** Cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II. Nocturno.

Añá. Consúrgens Joseph accépit púerum et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægyptum.

Añá. Angelus Dómini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge et áccipe púerum et matrem ejus, et vade in terram Israel.

Añá. Et véniens habitávit Náza-reth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas : quóniam Nazaræus vocábitur.

R. Docébit nos Dóminus vias suas. **R.** Et ambulá-bimus in sémitis suis.

Lectio iv.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

Exp. in Ps. xxxvj. et lxj.



Ubditus esto Dómino, et óbsecra eum. Christus faciéndó voluntátem Patris, legem implévit. Et ideo finis est legis et plenitúdo est caritátis; quia dilígens Patrem, afféctum omnem ejus adhibuit voluntáti. Dénique pro pietáte erat non pro infirmitáte Joseph et Mariæ paréntibus súbditus. Suscépit itaque compassiÓnem nostram, suscepit et subjectiÓnem. Quod enim subjécit sibi ómnia, suum est : quod subjéctus est, nostrum est. Anima, inquit, súbdita non divínitas, ánima subjécta, non Dei virtus. Per ipsam ergo obediéntia, per ipsam humílitas : quæ tamen non ad infirmitátem poténtiæ suscépta sunt, sed ad magistérium disciplínæ.

R. Ego autem mendicus sum et pauper. * Dóminus sollicitus est mei. **V.** Labóres mánuum tuárum quia manducábis, beátus

es, et bene tibi erit. — Dóminus.

Lectio v.

Quasi homo ergo ex his, quæ passus est, dídicit obediéntiam, ut consummarétur in carne et per obediéntiæ transfúsam in nos successiÓnem causa fieret nobis salutis æternæ, quibus ante per inobediéntiæ hereditátem primus ille Adam causa factus est mortis. Subjéctio ergo magistérium virtútis humanæ, non divínæ immiútio potestátis est. Nam si illum minórem Fílium et inæqualem Patri dicunt, quia erat súbditus Patri Deo; numquid et matre ideo minor, quia súbditus erat matri? Lectum est enim de Joseph et María : Et erat súbditus illis. Sed pietas ómnibus nobis non dispéndio, sed incremento est; per quam ómnibus nobis Dóminus Jesus fidem infúdit et grátiam, ut nos spírítu fidéli súbditos Patri fáciat Deo.

R. Vulpes fóveas habent, et vólucres cæli nidos, * Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. **V.** Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea. — Fílius.

Lectio vi. *Ibid. in Ps. lxxv.*

Denique, si consideremus, in paradiso defecit humilitas, et ideo venit de caelo. In paradiso orta est inobediencia, et ideo obediencia cum Salvatore descendit. Inflabatur caro, unde subiectio mansuetudinis inveniri non poterat in terris. Veniens Dominus Jesus primum se exinanivit, non rapinam arbitratus esse se aequalem Deo, formam servi sibi accipiens, et specie inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Dicat ergo: juvenis sum et despictus: quia Christus in paupere atque despicto mundo redemit, quia Christus humilitate diabolum vicit.

R. Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, * Formam servi accipiens. **V.** Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. — Formam. **Gloria.** Formam.

In III. Nocturno.

Añã. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem in die solemnibus Paschae.

Añã. Cum redirent, remansit puer Jesus in Jeru-

salem, et non cognoverunt parentes ejus.

Añã. Non inveniẽtes Jesum, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

V. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. **R.** Exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. **Cap. ij.**

CUM factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Homil. j. supra Missus est.

Teratsubditus illis. Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus et Potestates obediunt, subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimi-

mam dignationem, sive parentum excellentissimam dignitatem. Utrumque stupor, utrumque miraculum: et quod Deus homini obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo homo principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignum, qui etiam praet?

R. Vere tu es Rex absconditus, * Deus Israel Salvator. **V.** Tu doces hominem scientiam. — Deus.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio viii.

Disce, homo, obedire; discite, terra, subditi; discite, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista, Et erat, inquit, subditus illis: haud dubium quin Mariae et Joseph. Erubescite, superbes cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu, dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori? Quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum praere conatendo: et tunc vere non

sapio ea quae Dei sunt. De ipso namque dictum est: Et erat subditus illis. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocumque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit.

R. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: * Ita et per unius obedientiam iusti constituuntur multi. **V.** Venit Nazareth et erat subditus illis. — Ita. **Gloria Patri.** Ita.

Lectio ix. de Homilia Dominicae: si vero transferatur,

Lectio ix.

SI non potes sublimem incidere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cujus rectitudine si qui etiam virgines devierint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocumque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus, sed neuter quocumque ierit; quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine ma-

cula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, qua scilicet non coram tondeute, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegerit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus: cum et illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquinet.

Te Deum laudamus. 20.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Post triduum * invenerunt Jesum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

2. Dixit mater * Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes querebamus te.

3. Descendit Jesus * cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

4. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.

5. Et dicebant: * Unde huic sapientia hæc, et virtutes? Nonne hic est fabri filius?

Capitulum. **Lucæ ij.**
Descendit Jesus cum Mariâ et Joseph, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

Hymnus.

O Gente felix hospita
 Augusta sedes Nazarae,
 Quæ fovit alma Ecclesiæ
 Et protulit primordia.
Sol, qui pererrat aureo
 Terras jacentes lumine,
 Nil grätius per sæcula
 Hac vidit æde, aut sanctius.

Ad hanc frequentes con-
 volant

Cœlestis aulae nuntii,
 Virtutis hoc sacrarium
 Visunt, revisunt, excolunt.
 Qua mente Jesus, qua
 manu,

Optata patris perficit!
 Quo Virgo gestit gaudio
 Materna obire mœna!

Adest amoris particeps
 Curæque Joseph conjugii,
 Quos mille jungit nexibus
 Virtutis auctor gratia.

Hi diligentes invicem

In Jesu amorem confluent,
 Utrique Jesus mutuae
 Dat caritatis præmia.

Sic fiat, ut nos caritas
 Jungat perenni fœdere,
 Pacemque alens domesticam

Amara vitæ temperet!

Jesu, tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, et almo Spiritu,
 In sempiterna sæcula.

Amen.

V. Ponam universos filios tuos doctos a Domino.
R. Et multitudinem pacis filiis tuis.

Ad Benedictus, Añæ. Illuminare nos Domine exemplis familiæ tuæ, et dirige pedes nostros in viam pacis.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui Mariæ et Joseph subditus, domesticam vitam ineffabilibus virtutibus consecrasti: fac nos, utriusque auxilio, familiæ sanctæ tuæ exemplis instrui; et consortium consequi sempiternum. Qui vivis.

Comm. Domin. occur.

Ad Primam, in R. br.
V. Qui natus es de Mariâ Virgine.

AD TERTIAM.

Capit. Descendit. supra.

R. br. Propter nos egenus factus est, * Cum esset dives. Propter. **V.** Ut illius inopia nos divites essemus. Cum esset. **Gloria Patri.** Propter.

V. Docébit nos Dominus vias suas. **R.** Et ambulabimus in semitis ejus.

AD SEXTAM.

Capitulum. **Rom. v.**

Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justitiam multi.

R. br. Docébit nos Dominus, * Vias suas. Docébit. **V.** Et ambulabimus in semitis ejus. Vias suas. **Gloria Patri.** Docébit.

V. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. **R.** Exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

AD NONAM.

Capitulum. **Philipp. ij.**

Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

R. br. Pauper sum ego, et in laboribus, * A juventute mea. Pauper. **V.** Exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus. A juventute. **Gloria Patri.** Pauper.

V. Ponam universos filios tuos doctos a Domino. **R.** Et multitudinem pacis filiis tuis.

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laud. [352] **Psalmi ut in Festis B.M.V.** [191] **Capitulum et Hymnus ut in j. Vesperis.** [345]

V. Ponam universos filios tuos doctos a Domino. **R.** Et multitudinem pacis filiis tuis.

Ad Magnif. Aña. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. **Comm. Domin.**

FERIA TERTIA

POST DOMIN. SEPTUAGES.

Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud. Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol. [2]

Hymnus.

Aspice ut Verbum Patris a supernis Sédibus, clemens et amore flagrans,

Pérditis culpa génitis méderi

Pergit Adámi.

Flébilem mundi miserans ruínam,

Et volens nostros reparare casus,

Orat, et prona véniam precátur

Fronte Magíster.

Flúctuat secum tot acérba volvens :

Hunc, ait supplex, cálicem dolóris,

Mi Pater, transfer; tua sed volúntas,

Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,

Déficit languens Dóminus : per artus

Sánguinis sudor fluit, atque guttis

Terra madéscit.

At celer summo véniens Olympo

Angélus Jesum récreat jacéntem :

Córpore vires rédeunt, novóque

Róbore surgit.

Laus, honor Patri, genitæque Proli,

Cui datum nomen super omne nomen,

Et Paracléto decus atque virtus

Omne per ævum.

Amen.

V. Tristis est ánima mea.

R. Usque ad mortem.

Ad Magnif. Aña. Pósisit génibus orábat dicens :

Pater, si vis, transfer cálicem istum a me; verúmtamen non mea volúntas,

sed tua fiat.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre do-

cuísti ad tentatiónum perícula superánda : concéde propítius, ut nos oratióni semper intéti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Jesum in monte Olivárum orántem, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Aspice. **ut supra.**

IN I. Nocturno.

Aña. Ante oratiónum præpara ánima tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Ps. Exáudi Dómine. 13.

Aña. Non impediáris oráre semper, et nè vereáris usque ad mortem justificári.

Ps. Ad te Dómine clamábo. 54.

Aña. Omnia quæcúmque petiéritis in oratióne credentes, accipiétis.

Ps. Voce mea ad Dóminum. 171.

V. Tristis est ánima mea.

R. Usque ad mortem.

De libro Tobíæ.

Tertio j. **Cap. xij. b**

Bona est oratio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna a

morte líberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam aetérnam. Qui autem faciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánime suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscondam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónum tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probáret te.

R. In ómnibus grátias ágite : * Sine intermissiône oráte. **V.** Hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. — Sine intermissiône. De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

Tertio ij. **Cap. v. d**

Oráte pro invicem ut salvémini : multum enim valet deprecátió justí assídua. Elías homo erat similis nobis passibilis : et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursus

orávit : et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritate, et convérterit quis eum : scire debet quóniam qui convérte fécerit peccatórem ab errore viæ suæ, salvábit animam ejus a morte, et opériet multitudinem peccatórum.

R. Cum stábitis ad orándum, * Dimittite si quid hábétis advérsus áliquem. **V.** Ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccáta vestra. — Dimittite.

De Epistola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iij. **Cap. v.**

Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret, sed qui locúsus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génuí te. Quemádmódu et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicatiónesque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre váliido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia : Et quidem cum

esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam : et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salutis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex juxta órđinem Melchisedech.

R. Exaudívit Dóminus deprecationem meam : * Dóminus oratióem meam suscepit. **V.** Clamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine. — Dóminus. **Gloria. Dóminus.**

In II. Nocturno.

Añã. Cum orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis, et in ángulis plátæarum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Ps. Júdica me Deus. 84.

Añã. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio, ora Patrem tuum in abscondito.

Ps. Exáudi Deus oratióem. 93.

Añã. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Psalmus cxx.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniét auxiliúm mihi.

Auxiliúm meum a Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotióem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormítábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat animam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Añã. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

V. Pater mi, si possibile est. **R.** Tránseat a me calix iste.

Ex Tractátu sancti Cypriáni Epísopi et Mártiris. **De Orat. Domin.**

Lectio iij.

MEC verbis tantum, sed et factis Dóminus oráre nos dócuit, ipse orans frequén-

ter et déprecans, et quid fácerenos oportéret exempli sui contestatióne demónstrans, sicut scriptum est : Ipse autem fuit secédens in solitudinem, et adórans. Et iterum : Exívit in montem oráre, et fuit pernóctans in oratióne Dei. Quod si ille orábat, qui sine peccáto erat, quanto magis peccátóres opórtet oráre! Et si ille per totam noctem júgiter vígilans contínuis précibus orábat, quanto nos magis in frequentánda oratióne debémus nocte vigílare! Orábat autem Dóminus, et rogábat non pro se : quid enim pro se innocens precarétured sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum : Ecce Sátanas expetívít, ut vos vexáret quómmodo tríticum; ego autem rogávi pro te, ne deficiat fides tua. Et póstmodum pro ómnibus Patrem deprecátur, dicens : Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui creditúri sunt per verbum ipsórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

R. Simon, Simon, ecce

Sátanas expetivit vos ut cribráret sicut tríticum; * Ego autem rogávi pro te, ut non deficiat fides tua. *℟.* Et tu aliquándo convérsus confirma fratres tuos. — Ego.

Ex Commentáriis sancti Ansélmi Epíscopi. *In Epist. ad Hebr. cap. v.*

Lectio v.

Sicut verus Póntifex obtulit preces; nam in Evangélio sæpe légitur orasse, et máxime apud Lucam, qui sacerdotís in eo descripsit persónam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicatiónes fuérunt pro homínibus. Tota vita sua Patrem orávit de resurrectiône carnis suæ, ac de nostra salúte, et instánte jam passióne, obtulit supplicatiónes, id est, humíllimas et instantíssimas oratiónes cum summa devotióne cordis et affectiône, quando factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et has preces supplicatiónesque obtulit, id est óbviám tulit Patri per exauditióne sibi obviánti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte sal-

vum fácere, id est resuscitáre, ad eum, quem scivit esse sufficiéntem ut salváret eum, id est immortálem et impassibilem fáceret, eripiéndó a morte: ut nec ánima remaneret in inférno, nec caro putresceret in sepúlcro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrábit: * Et donec propínquet, non consolábitur. *℟.* Et non discédet donec Altíssimus aspiciat. — Et donec.

Lectio vi.

ET obtulit has cum clamóre váldo, id est cum intentiône piæ devotiónis vehementíssima et efficacíssima, ut quando prolíxius orábat, et étiam cum lácrymis; quia in illa prolíxa oratióne credéndus est lácrymas effudisse, cum et guttæ sánguinis pro sudóre decurrerent ab ejus córpore: et exaudítus est, quia quod quæsierat, accépit in resurrectiône. Exaudítus est, id est, extra númerum aliórum ómnium audítus est, quóniam super omnem creatúram, post labóris sui militíam, a Patre sublimátus est, et hoc pro sui reveréntia, id est secúndum hoc, quod ipse sicut

Dei Fílius dignus est reveréntia et veneratióne. Vel pro sua reveréntia * Ut Deum, id est propter quod ipse super ómnia Patrem reverítus est, et honorávit. Sive pro sua reveréntia, id est sicut sua religio méruit. Sánguinis quoque ejus effusio potest intélligi clamor válidus, in quo exaudítus est pro reveréntia ejúsdem passiónis. Reveréntia est, quod sine peccáto passus est sola caritate.

℟. Fiant aures tuæ auscultántes, et óculi tui apérti, * Ut áudias oratióne servi tui. *℟.* Quam ego oro coram te hódie nocte ac die. — Ut áudias. **Gloría Patri. Ut.**

In III. Nocturno.

Añã. Tribulatio et angústia invenérunt me, mandáta tua meditatio mea est.

Ps. Dómine quid multiplicáti sunt. 5.

Añã. Sustinui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolaretur, et non invéni.

Ps. Usquequo Dñe. 10.

Añã. Adhæsit paviméto ánima mea, vivíficame secúndum verbum tuum.

Ps. Dómine Deus salútis. 121.

℟. Vigiláte, et oráte. *℟.* Ut non intrétis in tentatióne.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio viij. Cap. xxij.

IN illo tēpore: Egrésus Jesus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi. **Lib. 10. Comm. in Luc. cap. xxij.**

Transfer a me cálicem istum: quasi homo mortem recúsans, quasi Deus senténtiam suam servans. Opórtet enim mori nos sæculo, ut resurgámus Deo: ut juxta divínám senténtiam lex maledictiõnis resoluta in terræ limum naturæ fine solvátur. Quod autem ait: Non mea volúntas, sed tua fiat; suam ad hóminem rétulit, Patris ad Divinitátem. Volúntas enim hóminis, temporális; volúntas Divinitátis, ætérna. Non ália volúntas Patris, ália Fílii. Una enim volúntas, ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subjéctus, ut non quod